bitato principio, & quod intrinseca nullitas, ac positiva impugnatio actus, ita illum infectum reddant, ut amplius convalidari, seu approbari non possit, juxta tex. *in l.1.§.ultimo in fine, ff. si tabul. test. null. extab.* cum aliis per Surdum *cons.136.sub nu.29. & seq.* Berlich *concl.legal.p.3. conclus.16. sub n.37. vers. preterea.* Et quod hæres daretur ex pacto contra principium indubitatum, quod solum per viam testamenti fiat, *l.hæreditatis, C.de pact.convent.* Torr. *de pact. fut. succ.l.1.c.2.sub n.11. & l.3.c.6 sub n.61.* ad quod absurdum evitandam rejici debet quicumque contrarius intellectus. Approbatio enim testamenti per pactum nunquam operatur illius reconvalidationem, sed ad summum præsefert simplex pactum, & secundum quid. Mart. *de succ.leg.p.4.q.3.art.2.n.3.* Surd. *dec.53.sub n.22.* cum aliis in præterita mea decisione *sub §. data itaque, & §. seq. alleg.*

Et germanus, ac verus sensus est, quod ubi dictum fuit approbatum fuisse testamentum, dicatur approbatum, uti transfusum in Codicillum ob effectum clauulæ Codicillaris, ex theorica Soc. *sen. in l. cum filio. num.32. ff. de legat.2.* cum aliis in præterita mea decisione *sub §. Verus igitur sensus allegatus.*

Et ita approbando in omnibus cetera fundamenta alterius decisionis, pro confirmatione illius, Domini responderunt D.Ducissa pluries judicialiter monita, & per binas vices ad ejus instantiam causæ propositione dilata, licet à Dominis meis consuffragantibus destinata ad instantiam DD. Magni Comestabilis, & filiorum, ipsaque Ducissa etiam in hac presenti propositione dilationem petente.

REV. D. ALBERGATO DECANO.

Romana Trebellianicæ.

Veneris 11. Maji 1685.

SUbjectis hodie iterato examini fundamentis utriusque decisionis Excellentissimis Magno Comestabilis, & filiis favorabilium, quibus sub diebus 23. Junii anni proximè elapsi 19. Februarii præteriti censuit hoc S. Tribunal alienationes per Excellentissimam D. Lucretiam Columnam in D. Ducem Virum factas ex causa trebellianicæ super hæreditate bonis Ducis Stephani ab ipso prætensæ neutiquam substinere DD. meos super earumdem decisionum viribus consului, ac pro illarum confirmatione, & in decisis persistendum esse prodiit responsio.

Haberunt si quidem pro comperto, quod D. Ducissa uti hæres scripta in testamento nullo ob omnimodam Patris preteritionem nunquam hæres directa dici meretur, sed ad summum obliqua, etiam juxta sensum D. Ducisse, ideoque ab ipsius favorem trebellianicæ, quota non sit detrahenda, quæ dumtaxat primo hæredi intestato competit, secus autem secundo, qui per fideicommissum capere dicitur ex plene allegatis in prima mea decisione causæ *sub §. quod extra ansatus, & in 2. sub §. 1.*

Nec admittendum DD. censuerunt limitationem alias propositam, & in presenti à scribentibus pro Ducissa primario inculcatam, quod heredibus ab intestato venientibus, & rogatis restituere hereditatem Ducissæ mediante clausula Codicillari hujusmodi detractio prohibita dignoscatur in illis verbis–*In tutta la mia eredità instituisco, faccio, voglio, che sia, e di mia propria mano scrivo mia erede universale la Sig. Donna Lucrezia Colonna mia dilettissima Consorte, alla quale lascio tutta la mia Eredità nel sudetto, & in ogn'altro miglior modo.* Ideoque succedat regula, quod ex prohibitione primo heredi injuncta resultet permissio detractionis ad favorem secundi, & quod prohibitio primo hæredi facta non cesseatur repetita in secundo, ita ut iste trebellianicam valeat detrahere, ex theorica Saly. *in l. sancimus 7. n. 9. vers. & addo nunc. C. ad trebell.* Soc. Jun. *cons.170. n. 33. l.2.* Bell. Jun. *cons. 67. n.11.* Dec. *cons.357. n. 3. cum aliis in præteritis decisionibus causæ in hoc objecto allegatis,*

Nam statim ex deficientia præmissi suppositi animadverterunt DD. hujusmodi limitationem non applicari, quinimo in presenti in suo esse deficere non inquam applicari, dum verba præducta ad hunc effectum expensa, licet non semel, sed bis totaliter ibi–*In tutta la mia eredità instituisco*–& inferius–*alla quale lascio tutta la mia eredità*–nihilominus cum immediatè legantur Institutioni adjecta, non autem oneri restitutionis apposita, nunquam prohibitionem trebellianicæ inducere possunt, etiam si eisdem concomitetur clausula *omni meliori modo* ex congestis in secunda mea decisione sub §. *In presenti hypothesi*, & signanter firmat decisio in Romana, seu Januen. legitimæ sub die 10. Martii 1684. edita in §. *Hinc cum, & seq.* ubi quod omnes authoritates in contrarium adductæ loquuntur dumtaxat in casibus, in quibus verba totalitatem importantia juncta clausula *omni meliori modo* int. gritatem restitutionis important, hoc est adjecta legantur gravamini restitutionis.

Qua sane distinctione retenta, omnia pro contrario intellectu allegata sub antinomia reducebantur permisso semper tanquam de jure indubitato, quod ad inducendam hujusmodi tacitam prohibitionem requirantur verba, quæ aliud operari non possint, nec quod ad aliam effectum fuerint à testatore prolata, itaut si sensum diversum recipere queant, utique prohibitionem trebellianicæ non operentur, ut ultra allegat. in ultima mea decisione firmant Castren. *in auth. sed cum testator, n.2. vers. secus si possunt, C. ad l. falcid.* Add. ad Greg. *decis. 421. sub n.16. vers. est tamen necesse.* Rota, *dec.423. n.6. p. 13. & dec.147. n.9. p.17. rec.* & in Romana Falcidiæ 16. Junii 1679. §. *de tali autem prohibitione* cor. R.P.D. meo Rondinino, quod sane in præsenti non inferebatur, dum hujusmodi verba in recto eorumdem sensu, & significatu Institutionem universalem Ducissæ in omnibus bonis, & in tota hereditate Ducis Viri defuncti dumtaxat preseferunt, & ad hunc effectum à testatore opinatum solum trahuntur, non autem ad alium, nec expressum, nec cogitatum prohibitionis trebellianicæ respectu hæredum ab intestato, alias enim sequeretur, quod in omnibus testamentis censeretur prohibita trebellianica, cum pletumque omnia contineant Institutionem hæredis in tota hæreditate, vel in omnibus, & singulis bonis, & est nimis planum, quod quis faciendo heredem velit, quod tota hereditas ad ipsum deferatur, cum illa complectatur omnia jura defuncti, ex adductis per Bald. *in l. fin. C. de edict. div. Adrioll.* & Rota cor. Bichio *dec.15. num.8.* alias quisque decederet pro parte testatus, & pro parte intestatus, expressio autem ejus, quod de jure inest, nihil prorsus operatur, presertim quãdo expressio fit eo modo, quo de jure inest *in l. non recto, C. de fideiuss.* Castrens. *cons.338. n.2. vol.2.* Anchar. *cons.404. num.5.*

Vim & efficaciam distinctionis agnoverunt Informantes pro Ducissa, ac pro eorum præliminari defensione iterum repetebant, quod hodie certi juris per clausulam codicillarem restitutionem obliquari, & in fideicommissum resolvi, & quidem retentis eisdem terminis, & cum repetitione omnium qualitatum, & conditionum in ea contentarum, ex Ruin. *cons.47. nu.18. & 20. l.2.* Sim. de Pret. *de interpret. ult. vol. fol.11. nu.11. in fin. & num.12.* cum alis allegatis per Turr. *de claus. codicill. quæst.113. per tot.* ideoque obliquando hujusmodi verba in institutione adjecta cum retentione earumdem qualitatum sensus, & dispositio testatoris plana videretur; quod hæres ab intestato teneatur restituere eidem D. Ducissæ totam hæreditatem *omni meliori modo*, per quæ verba remaneat eisdem proculdubio prohibita trebellianica, ut de verbo, *totam*, tradunt Mangil. *de imputat. q.115. nu.6. & 29.* Cytoch. *discept.3. nu.19.* & pluribus congestis, Rota *dec.229. n.2.* cor. Priolo, & de clausula *omni meliori modo*, quando est præsertim contextualiter apposita in dispositione fideicommissi, Tob. Non. *cons.1. n.17. lib.2.* Honded. *cons.45. n.57. l.2.* Cyriac. *controv.11. nu.16. cum seqq.* Rota *dec.180. n.20. p.17. rec.*

Verum hujusmodi objectum etiam in præcedentibus decisionibus causę sublatum omnino in presenti removeri videbatur, attento quod obliquatio instituti per clausulam codicillarem inducta operatur quidem repetitionem quorumlibet in institutione adjectorum, sed non exinde importat prohibitionem trebellianicæ, nisi incurrat expressa, seu tacita testatoris voluntas, cùm nil amplius operari possit præter intentionem, & voluntatem testatoris, & solum hujusmodi clausula potest supplere defectum solemnitatum, non autem illius voluntatis. Bald. *cons.870. nu.10. l.5.* Mandel. Alban. *cons.29. nu.9. l.1.* Purrut. *cons.30. nu.12. & cons.139. nu.5. & cons.216. num.12.* Odd. *cons.89. n.26.* Mantic. *de conject. l.5. tit.2. nu.9.* Marcabrun. *cons.61. nu.15.* Surd. *cons.29. n.29. vers. quod verò attinet, & cons.28. n.23.* Grat. *cons.8. n.11. l.2.* Menoch. *cons.532. n.28. vers. ceterum respondetur, vol.6.* Rimin. jun. *cons.110. n.59. & seq. vol.1.* & cum eisdem verbis arguit Berro *cons.63. in fine vol.2.* Unde infertur, quod per talem obliquationem hæres intestatus gravatur dumtaxat restituere hæreditatem per fideicommissum hæredi scripto, deducta pro se trebellianica, secus autem istius prohibitionem in ipsa restitutione, dum restitutio fit cum onere legali, nempe deducta ejus quota, per text. *in l.2. in fin. ff. de jur. Codicill.* ibique gl. *in l. falcidia*, cum aliis congestis in secunda decisione causæ *sub §. non relevante.*

His ita præmissis corruit suo marte illatio, quod ex prohibitio-

bitione primo hæredi injuncta permissa censeantur detractio; Secundò, qui per fideicommissum capere dicitur, ideoque recurrit argumentum in prima mea decisione *sub §. cessante*, deductum, quod semota in facto prætensa prohibitione, frustra quæritur de effectu, quem operatur in jure, & tamen etiam in presenti propositione DD. pro subsistenti agnoverunt, quod prohibitio primo hæredi injuncta afficiat hæredes successive vocatos, & quomodocumque ad hæreditatem venientes, ex authoritate Cassan. *cons. 67. sub n. 69.71. 74.* & Rota cor. Merlin. *decis. 776. sub n.12. & 13.* cum aliis in dicto §. congestis. Ea siquidem ratione, quod ad effectum detrahendi trebellianicam pernecesse requiritur, quod quis sit hæres directus, & rogetur ut hæres, per tex. *in l. mulier 22. §. ultim. ff. ad trebell.* Bart. *in l. acceptis, ff. ad l. falcid.* Rom. *cons. 206. n.2.* Pereg. *de fideic. art.2. n.104.* Mantic. *de conject. ult. volunt. l.7. tit.11. n.3. & 4.* Rota *decis.93. n.5.* apud Merlin. *de legit.* Prout etiam, quod prohibitio trebellianicæ primo hæredi facta non importet nisi simplicem negationem, non autem dispositionem, quod hujusmodi quota sit relicta fideicommissario, qui succedit quidem in integro fideicommisso ex dispositione testatoris, sed vigore ejusdem dispositionis non detrahit trebellianicam, quæ in suis casibus detrahitur ex solo beneficio legis, nec secundum, sed potius contra voluntatem defuncti, ut expresse dicitur *in c. Raynutius, 19. in fin. de test.* ibi–*Et contra voluntatem testatoris lex falcidia inducatur*–& plene ex Bart. Alex. aliisque plurimis probat Mantic. *de conject. ultim. volunt. c.10. n.8. vers. sed Bartolus, & n.19.* Honded. *consil.66. n.18. l.1.* Gabr. *cons.137. nu.42. l.1.* ubi de veriori, & communiori Giovagn. *cons.99. n.16. l.1.* Rota cor. Comitulo *decis.64. n.10.*

Authoritatibus verò in contrarium adductis, quod Trebellianica prohibita hæredi possit detrahi per fideicommissarium, quando restituit alteri fideicommissario, visæ sunt occurrere responsiones in preteritis decisionibus datę, & rationes superius adductæ, quod repugnet juris principiis, ut qui non est hæres directus, nec rogatus ut hæres directus trebellianicam detrahat, quodque ex actu negativa quoad unum inferatur affirmativa dispositio quoad alium habentem resistentiam juris quidquid dicendum esset, quando ageretur de pluribus cohæredibus, in quibus terminis loquuntur ferè omnes authoritates ex adverso congestæ, & in isto casu adaptatur conclusio, quod prohibitio uni adjecta alium non afficiat, dum quilibet hæres detrahit trebellianicam, secus autem in hærede fideicommissario, in quo non est necessarium, imo esset superfluum repetere prohibitionem trebellianicæ, quam sufficit esse prohibitam primo hæredi, ut ratiocinatur Urceol. *consul.38. num.5.* Rota *dec.776. nu.12. & 13.* & coram Merlin. *& in 1. dec. §. Cessante in facto,*

Dato igitur pro constanti, quod detractio hujusmodi quotæ competat dumtaxat primo hæredi directo, & intestato, secus verò secundo, & obliquo, quodque eidem nullatenus videatur super controversa hereditate prohibita trebellianica, & si prohibita, talis prohibitio afficiat etiam successivè vocatos, superfluum esset inquirere, an hujusmodi quota actualiter fuerit ab intestatis heredibus detracta, cum solum D. Ducissa dictam quotam detrahere poterit, quoties primus hæres directus illam non detraxisset exercendo liberalitatem in gratiam fideicommissarii, & ipsius dumtaxat alias iste nunquam detrahit trebellianicam, juxta text. *in d.l. 1. §. deniique, ff. ad trebell.* ibique egregie Bartol. & Roman. *nu.3. vers. quarta conclusio*, quod sane in præsenti dici non potest, ex quo restitutio facta fuit extraneo, & diu cum herede litigante, in cujus gratiam non censetur exercita liberalitas, quæ solum præstatur amico dilectissimo, ut observat prima decisio causæ *sub §. Authoritatis tandem.*

Verum ab ipsis hæredibus detractam hujusmodi quotam dici etiam meretur, dum ad favorem Patris, seu hæreditatis jus proprium nonnisi in detractione trebellianicæ competens super agnita hereditate renunciarunt, quæ renunciatio, ne superflua dicatur uti translativa, non verò abdicativa comprehensionem hujusmodi detractionis, seu juris ipsis competentis præsefert ex allegatis in secunda mea decisione *sub §. urget semper alias responsio.*

His ita se habentibus, ut dictum fuit in prima decisione, non visum fuit DD. opus, nec opere pretium scrutari alia fundamenta cum prædicta satis, superque visa sint superabundare ad excludendam detractionis trebellianicæ, & ad effectum ne substineantur alienationes in hanc causam factæ.

Et ita utraque &c.

LUCANA LEGITIMÆ, PRO FRANCISCO BONVISIO NUNTIO APOSTOLICO

apud Imperatorem,

CUM FRANCISCO, & ALEXANDRO.

Responsum ad causam extra Curia, cum sensu veritatis,

De legitima debita in bonis Matris binubæ filiis primi matrimonii ex statuto Lucano, qualis sit, & quomodo regulanda veniat; Et incidenter de pœnis parentis binubi.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *An statutum exclusivum fœminarum suffragetur fratri uterino.*
3 *De dispositione text.* in l. fœminæ, *ut non procedat muliere nubente de consensu viri.*
4 *Quid in bonis immediatis &c.*
5 *Recensetur dispositio statuti,*
6 *Quod non deferat legitimam præcipuam, quando mulier nubat de consensu primi viri.*
7 *De argumentis id comprobantibus.*

DISC. XLI.

FLAMINIUS uxorem, ex qua Flaminium, & Catharinam susceperat, raro exemplo ad secundas nuptias invitavit, cum legato scutorum quingentum in casu dicti transitus consequendo, dictoque casu sequuto, eamdem secundo viro quoque viduam heredem universalem scripsit Flaminius filius præmoriens, demum verò ipsa decedens hæredem scripsit Franciscum secundi matrimonii filium, quodam legato, cum titulo institutionis relicto Francisco, & Alexandro ex dicta Catharina filia predefuncta nepotibus, qui legato non acquiescentibus, sed petentibus legitimam præcipuã, & integram ex omnibus bonis, quæ è primo viro, ac etiam à dicto filio primi viri in eam obvenerint, ex dispositione Statuti Lucani *lib.6.c.26.* ultra aliam portionem legitimæ, ex bonis propriis ejusdem ad formam jus communis, initum fuit compromissum, ideoque ex parte Francisci hæredis tunc Nuntii Apostolici apud Regem Poloniæ, ad presens verò apud Imperatorem, desuper consultus.

Tres bonorum species dixi distinguendas esse; Unam nempè in bonis propriis dotalibus, & extradotalibus aliunde quam à primo viro, ejusque attinentibus obvenientibus; Alteram consistentem in dicto legato scutorum quingentum sibi directè facto per proprium virum, quatenus extarent; Et tertiò in bonis hæreditariis dicti Flaminii filii ex primo matrimonio.

In prima specie nulla cadebat quæstio, in terminis juris communi, in Actoribus personam Matris repræsentantibus debita esset medietas trientis; Ea tamen cadebat ex ejusdem Civitatis Lucanæ Statuto exclusivo fœminarum, earumque descendentium propter masculos, an scilicet intelligendum esset de fratribus germanis, in quibus verificatur ratio agnationis, cui hujusmodi statuta innixa esse solent, vel etiam de uterinis, quasi quod statutum consideret solum sexum, non autem agnationem,

In hoc autem puncto, quamvis non desint multi hanc posteriorem tenentes opinionem, quos elaboratè, ac diligenter agendo de isto patrio statuto, recenset Palma *consult.65.* Attamen respondi mihi probabiliorem videri, magisque placere primam opinionem, ut sola ratio agnationis in hoc proposito attendi debeat, ideoque hujusmodi statuta uterinis non suffragentur, ex deductis per Spad. *cons. 320. libr.3.* Manz. *consult. 14. libr. 1.* qui loquitur etiam in specie hujus Statuti contra Palmam, cum aliis suprà, *hoc tit. disc.3. n.8. & alibi pluries,*

Super secunda specie bonorum consistente in dicto legato scutorum quingentum directè per primum virum facto mulieri Testatricis, difficultas non erat in sola quota competente ratione legitimæ, sed erat in toto, ex dispositione *text. in l. fœminæ, C. de sec. nupt.* ut hæc bona deberent esse præcipua; Verum respondi id non subsistere, cum dispositio dictæ legis procedat, quando contra ejusdem legis dispositionem, vel intentionem, sive contra voluntatem primi viri,

viri, ab ipsam præsumptam, & cui injuriam inferri ea supponit, mulier nubat, secus autem ubi de ejus permissione, vel consensu, ex deductis per Sanchez *de matr. l. 3. disp. 89. numer. 59. & 82.* Capyc. Latr. *decis. 22. numer. 8. apud quos alii;* Quamvis etenim in contrarium ponderentur ea, quæ habentur *decis. 80. part. 6 cum aliis deductis dicto disc. 33. num. 5. & 6. de success. ab intest.* Nihilominus in hoc adverterbam procedi cum æquivoco claro, cum ibi deducta percutiant terminos diversos consensus, vel permissionis filiorum, quibus congruunt ibi consideratæ rationes, ut scilicet ex quadam urbanitate, vel reverentia debita parenti non audeant filii se opponere, & contradicere, sed non per hoc censetur juri suio renunciare, quæ rationes non congruunt ipsi primo viro decedenti, cum aliquando viri prudentes soleant id desiderare, utpote conscii conditionis mulieris, ut non de facili vidutatem, & continentiam sufferre valeat, ad occurrendum majori malo illicitæ incontinentiæ; Clarius verò, dum idem statutum ita quoque disponit, atque considerat cessationem rationis, cui pœnæ secundo nubentium innixæ sunt.

Idem pariter imo fortius procedere dicebam in tertia specie bonorum obvenientium ex testata dispositione filii primi matrimonii; Quæstio etenim, de qua *disc. 30. eodem titulo de success. ab intestato*, an ejusdem legis dispositio contra binubos locum habeat in iis bonis, quæ fuerunt primi conjugis, sed non immediatè obvenerint, percutit diversos terminos, ac etiam casum intestati, non autem testati,
4 dum in iis, quæ obveniunt ex testata successione filiorum primi matrimonii, certum est dictas pœnas nullatenus intrare, ideoque ex duplici ratione in hac specie dispositio d. legis locum non habebat; Nil obstante quod Statutum non se contineat intra dictæ legis terminos, sed illam magis ampliet, ac propterea ibi cessat in radice dicta quæstio de bonis mediatis, cum ea, quæ per jus commune disponuntur in bonis obventis à primo conjuge, vel à filiis primi matrimonii, extendat etiam ad bona obvenientiam ab ejusdem conjugis conjunctis, sive sint ascendentes, sive descendentes, & collaterales.

Unica itaque difficultas in his posterioribus speciebus bonorum residebat in ultima parte Statuti, *vers. cæterum*, in
5 qua, considerando casum questionis, ut scilicet mulier de licentia, vel permissione viri defuncti ad alias convolaverit nuptias, disponitur, quod habeat dominium bonorum in proprietate, non autem in solo usufructu, ut antecedenter in casu transitus, absque dicta licentia dispositum est, atque posset de eis libere disponere, eodem modo, quo antecedenter dictum fuerat in casu, quo nulli superessent filii; Sed quoniam adduntur illa verba, *dummodo tamen filiis ejus matrimonii, unde bona acquisivit, legitimam relinquere teneatur, & eis non extantibus, teneatur relinquere legitimam portionem aliis filiis, & descendentibus, & quartam partem cæteris venientibus ab intestato in suo casu*, juxta formam alterius Statuti *eodem lib. 2. cap. 8.* ubi præscribitur modus detrahendi legitimam filiorum, & descendentium, ad quod relatio habetur; Hinc Actores prætendebant, quod ex dictis bonis de secunda, & tertia specie, cum presupposito, quod per fratrem uterinum non essent exclusi, ut supra, detrahere deberent integrum trientem præcipuum, absque eo, quod de illo filius secundi matrimoni participaret, coæquali participatione solum procedere debente in bonis propriis de prima specie, atque supponebatur, quod Arbiter inclinaret in hunc intellectum, quasi quod verba talem intellectum expresse suadeant, dum ita supponitur quoque existentia filiorum alterius matrimonii, & tamen dicitur, quod teneatur relinquere legitimam filiis illius matrimonii, à quo bona obvenerint, & eis non extantibus, illa relinquere teneatur aliis filiis.

Hoc tamen non obstante contrarium dixi mihi veritis videri, quoniam iste casus, in quo mulier de consensu, vel
6 permissione primi viri transeat ad secunda vota, dicitur extra omnem pœnam, utpote omissus à legibus, quæ secundo nubentium pœnas induxerunt, ideoque bona obvenientia à primo viro, vel juxta ampliationem statuti ab ejus conjunctis, in nihilo differunt ab aliis bonis patrimonialibus, vel acquisitis mulieris, sed eandem sortiuntur naturam, ex plenè relatis per Sanchez, & Capy. Latr. *nbi supra*, & Hodiern. *in l. hac edictali, q. 21. nu. 14.* apud quos concordantes videri possunt.

Et per consequens in detractione legitimæ de jure nulla dignoscitur differentia inter filios, an sint unius, vel alterius matrimonii, quinimo excepto casu matris illustris habentis filios legitimos, & alio casu coitus damnati, & punibilis, neque dignoscatur respectu matris inter legitimos, & illegitimos, ac propterea non debemus in Statutis admittere, vel supponere correctionem juris, quando ista non adsit expressa, juxta vulgaria axiomata recensita per Rot. *decis. 46. 122. 355. & 438. part. 14. recentior.* & sæpius advertitur *sub tit. de success. ab intestat.* ubi est sedes materiæ statutorum.

Neque obstare videntur verba Statuti, quoniam in hac parte statutum, quamvis non multum bene conceptum, prout dignoscitur etiam in plerisque aliis partibus, quia fortè illorum temporum conditio exigebat, nil disponere videtur, sed solum præsuppositivè loquitur, explicando seu verius preservando id, quod est de jure, ne alias dubitari posset, quod ob largam, & effrænatam licentiam mulieri attributam disponendi pro libito voluntatis, ita liberata censeatur ab onere relinquendi legitimam alias de jure debitam, isteque pro meo judicio videtur verus, ac germanus statuti intellectus.

Istum verò intellectum, qui in loco visus est novus, mul-
7 tipliciter probari dicebam; Primò nempè, quoniam in eodem *Statuto 26. in prima parte*, in qua agitur de muliere non binuba fit idem, præservando scilicet legitimam, prout de jure debitam relativè *ad dictum Statutum octavum*, absque aliqua alteratione legis communis; Et in hac tertia parte habetur relatio ad idem *Statutum octavum*, ut supra dictum est; Ac etiam quia pariformiter demandatur quarta aliorum conjunctorum, quorum respectu nullatenus intrat distinctio binubæ, & non binubæ, ideoque proceditur solum per viam præservativæ, ut supra.

Secundò quia, si talis fuisset intentio statuentium, utique in dicto Capitulo octavo, in quo profitentur præscribere modum detrahendi legitimam filiorum, & ad quod in *Statuto 26.* relatio habetur, descendissent ad hanc distinctionem filiorum primi, & secundi matrimonii.

Tertiò quia in iis, quæ statutum filiis primi matrimonii pernecesse reservare voluit, injunxit mulieri onus cautionis, quam non solum in hac parte statutum omisit, sed expresse remisit, atque necessariam non esse declaravit, ideoque ista discretiva ad evidentiam id convincit.

Quartò quia esset ita dare magnum cumulum inconvenientium, & exorbitantiarum; Unam scilicet introducendi legitimam præcipuam privativè ad alios filios à jure penitus ignotam; Alteram fortiorem, quod per subauditum intellectum per quandam rigorosam potius grammaticalem, quàm legalem interpretationem est inducere ampliationem rei odiosæ; & exorbitantis introductæ per statutum respectu bonorum, quæ non ab ipso viro immediatè obveniunt, sed ab aliis conjunctis præsertim ubi obventio est ex dispositione testata ultimi possessoris, quo casu cessat in radice quæstio de bonis, quæ immediatè à viro obveniunt, & de qua à me agitur *disc. 30. de success. ab intest.* Alteram in idem, quod esset inducere repetitionem dispositorum in una periodo, seu oratione separata diversam habentem rationem ad alteram, cum tamen etiam in ultimis voluntatibus, in quibus benigna fit interpretatio, prohibita sit repetitio; Potissimè ubi non accedat rationis identitas, quinimo adest expressa diversitas, ex relatis à me *disc. 43. de fideicommissis*; & sæpius, multo igitur magis in statutis exorbitantibus, & pœnalibus odiosam, ac strictissimam interpretationem recipere debentibus; Et demum alteram ultra plures alias, quæ cum aliquo majori otio ponderari possent, quod ita esset gravare mortem duplici legitima, quoniam cum ex præmissis ista bona reputentur indifferentia, adeout in nihilo differant ab aliis propriis dotalibus, & extradotalibus, hinc sequitur, quod alii filii secundarum, & ulteriorum nuptiarum, prætendere potuerunt integram legitimam de universo asse, istis etiam bonis computatis, cum nulla subsit ratio, cur computari non debeant, dum eatenus in casu, in quo intrat pœnæ secundo nubentium, bona obventa à primo viro non veniunt in calculo legitimæ aliorum filiorum, quatenus dicuntur non existere patrimonio matris in proprietate, sed in solo usufructu terminato per ejus mortem, quod utique in presenti dici non potest.

Et quintò demum, quia sufficit casum reddi dubium, & capacem utriusque intellectus, absque eo quod desuper habeantur pluries res judicatæ, vel antiquæ, & receptæ Sapientum interpretationes, ut juxta notoria axiomata, quæ in hac statutorum materia habemus, illa fieri debeat interpretatio, per quam evitentur juris correctiones, & exorbitantiæ; Potissimè verò, & fortius, quia non agitur de bonis immediatè à viro in mulierem binubam obventis, sed de aliis obventis ex testata dispositione filii comprehensis sub

sub pœnis secundarum nuptiarum, ex lege exorbitanti statutaria inducente hanc ampliationem, ideoque esset dare in pœnalibus, & odiosis ampliationem ampliationis, ac subauditam repetitionem, quæ omnia repugnant principiis.

Istamque dixi videri veritatem, ex judicio proprio, de quo solum hodie in jure responderi potest, cum veritas certa soli Deo nota sit.

ROMANA LEGITIMÆ PRODUCE MUTO, CUM FRATRIBUS.

Casus disputatus coram A. C. sopitus per concordiam.

An legitima sit quota hæreditatis, vel quota bonorum, & quales effectus exinde resultet; & an filiis pro legitima competat actio directa contra debitores hæreditarios parentis, & quid ubi ipse hæres universalis esset debitor hereditatis ex persona propria.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Proprietas lucri dotali extracti à fideicommisso, an ad istud redeat remissivè.*
3 *De imaginaria solutione, an, & quando intret favore heredis.*
4 *Legitima an sit quota hæreditatis, vel quota bonorum, & quales sint effectus exinde resultantes.*
7 *Omisso inventarii, quorum favore operetur effectus præjudiciales.*
6 *An filius pro legitima habeat actiones directas contra debitores hæreditarios.*

DISC. XLII.

1 JUXTA facti seriem in hac eadem controversia enarratam *sub tit. de dote, disc. 205.* Cum Ducissa Muta vidua, relicta aliis filiis quadam modica summa pro legitima, hæredem universalem instituisset Ducem primogenitum, qui erat ejus debitor, ex contractu Cambii, cum obligatione Camerali in scutis bis mille quingentum, obventis in eam ratione lucri sibi soluti ex bonis primogenituræ, alii filii materno judicio non acquiescentes, atque petentes legitimam sibi de jure debitam, pro rata sub ea cadente, petierunt cor. A. C. relaxari mandatum contra dictum fratrem primogenitum tanquam extrancum debitorem hereditatis exequutivè obligatum, sed post aliquas disputationes ut ibi dictum est concordia dedit finem controversiæ.

Ex pluribus autem scribens pro Duce reo convento, dicebam incongruam esse petitionem, ideòque rejiciendam: Primò nempè, quod ista proprietas jam desisset esse de bonis, & hæreditate dictæ Ducissæ, utpote revera ad primogenituram, à qua exierat in solo usufructu, atque ad mulieris vitam pertinent. Ideoque ipso tres repræsentante personas, unam nempè propriam debitoris, alteram heredis, & alteram possessoris primogenituræ, ita occultari dicebam ex legis ministerio duos actus, unum nempè solutionis imaginariæ debiti, quam prima persona fecit secundæ, & alterum restitutionis hujus sortis, quam pro recognitione veritatis, & bonæ fidei fecit secunda tertiæ, pro debita reintegratione primogenituræ, ideoque ita debitum esset extinctum.

Et secundò, quod ubi etiam neglecta tertia persona, de primis duabus tantum agendum esset, adeout istud creditum spectaret ad hæreditatem matris, ejusque ratio habenda esset pro detractione legitimæ, adhuc tamen idem Dux dicere poterat, quod ex eadem imaginaria solutione à lege præsumpta, de qua, *disc. 28. de hæred.* & *alibi*, solverat tanquàm debitor sibi ipsi, tanquam hæredi universali, & unico creditori habenti actiones directas, sibi eodem jure hereditario remanente obligatione ponendi in calculo istam summam, tanquam exactam à nomine debitoris hæreditario, ad effectum, ut ejus ratio in detractione legitimæ habenda esset, eodem modo, quo agendum esset, si à tertiis debitoribus exegisset, quoniam non possent debitores directè molestari, cum primæva actione exequutiva, utpote per solutionem jam sublata.

2 De primo motivo, quod scilicet ista proprietas non spectaret ad hæreditatem Matris, sed ad primogenituram, agitur in sua sede, *disc. 205. de dote*, ubi videri poterit; Et quidem quoad hunc punctum legitimæ maternæ casus videbatur indubitatus, quamvis ibi dicta ad favorem primogenituræ non subsisterent, quoniam quomodocumque dicatur, jus in hac proprietate esset filiorum ex persona propria, vel eorumdem tanquam hæredum Patris, quatenus hæreditariam qualitate haberent, quam supponebatur deficere, sed hoc unum est, quod mulieris hæreditas in ea nullum jus habebat, utpote in solo usufructu extincto per mortem.

Quoverò ad alterum, de duobus per Scribentes in contrarium objiciebatur; Primò nempè, quod ea, quæ habentur 3
super imaginaria solutione, procedunt favore hæredis beneficiati, non autem ejus, qui legitimo inventario non confecto, tali beneficio uti non debeat, & qualem esse hunc hæredem supponebatur ista parte non negante; Atque exinde inferebatur, quod dicta actio, quam jure primogenitu-re haberet pro restitutione proprietatis lucri esset confusa, istaque deductio ab asse hæreditario, in quo erat cambium, fieri non posset; Et secundò assumebatur quæstio adeò per DD. disputata, an legitima sit quota hæreditatis, vel quota bonorum, atque cum nimio quamvis inani labore, superfluaque allegationum congerie hodie nesciatur quare practicari solita, cum ad id sufficeret deducere aliorum relatores Merlin. *de legitim. lib. 5. titul. 2. qu. 2.* & fortè melius Bellon. jun. *de jure accresc. cap. 9. quæst. 24. ex num. 74.* conclu- 4
debatur veriorem, magisque receptam esse opinionem procedentem cum distinctione, quod aut parens decedendo testatus, vel intestatus, reliquit liberos hæres universales, saltem pro quotis, & tunc legitima dicatur quota hæreditatis, non autem bonorum, eaque cum ipsa hæreditate confundatur, atque intrat obligatio ad onera, & debita ex ratione subintrationis in universum jus activum, & passivum; Aut verò instituit hæredes universales, liberis autem relinquit legitimam jure particulari, seu pro ea certam rem, vel quantitatem, & tunc dicatur quota bonorum, adeout liberi reputandi creditores, vel legatarii necessarii non subjaceant actionibus passivis, quæ contra eos non sunt exercibiles.

Omnia verò hæc extranea esse dicebam à casu questionis, eaque in suis casibus esse in puncto juris vera, malè tamen ad rem applicari, juxta hodiernam frequentiorem contingentiam.

Carentia siquidem beneficii inventarii operativa est tam circa denegationem commodi immaginariæ solutionis, 5
quàm circa confusionem actionum, & jurium, aliosque similes effectus quoad creditores, ac etiam legatarios, & fideicommissarios particulares in certa specie, vel quantitate, quoniam ita disponit *text. in l. finali, Cod. de Jur. delib.* seu verius, quoniam ita dispositum est de jure antiquo, & medio antequam prodiret istud novum introductivum hujus beneficii, per cujus non usum nulla incurritur pœna, sed solum denegato commodo ex eo resultantes hæres remanere dicitur in eo statu, in quo de jure erat, antequam istius novi beneficii introductio esqueretur, ideoque respectu successorum universalium saltem in quota, sive sint immediati, sive mediati, verius est nullum exinde parari prejudicium, ut eorum successio, vel detractio esse debeat major, quodque prius fieri non debeat deductio æris alieni, cum nullibi in jure cautum videatur, ut latius de hoc agitur supra, *d. disc. 25.* & alibi pluries.

Et quoad alteram quæstionem, an legitima sit quota hereditatis, vel quotam bonorum admittebam veritatem distinctionis in abstracto, seu in suis casibus, sed quod fallacia erat in applicatione, quodque distinctio prodesset huic parti, atque noceret, & esset præjudicialis Actoribus versantibus in secunda distinctionis parte, ideoque obtinere debentibus legitimam jure particulari, tanquam per speciem legati facti ab homine, vel à lege capiendi à manu heredis, tunc etenim duplex præjudicium resultat filiis, quibus legitima debita est; Primò nempè, quia ubi adsit titulus universalis, & portio hæreditaria, tunc filius ex privilegiato judicio immissionis, *ex remedio l. final. Cod. de edict. Div. Adr. tollen.* vel ex interdicto: *Quorum bonorum* obtinere potest suam portionem hæreditariam, absque eo quod prius fiat detractio æris alieni, dum dicere potest, quod ipse solveret suam portionem creditoribus, quando venient; Sed quando illam obtinere titulo singulati, tanquam portionem bonorum, tunc debet prius expectare, ac pati, quod hæres universales solvat omnia debita hæreditaria, quibus detractis, firmato statu bonorum, quæ supersint, petere poterit suam portionem, ex deductis apud Franc. *dec.* 127. Merlin. *de legitim. l. 2. tit. 1. q. 16.* Surd. *cons.* 248. *num.* 17. Amat. *resol.* 29. *n.* 167. cadente solum quæstione ubi debita sint incerta, & illiquida, ut apud allegatos.

Ac etiam quod istoccasu sibi non competit immissio, seu remedium possessorium, seu privilegiatum, seu condictio ex lege, atque debet petere legitimam in judicio ordinario, & apellabili ab hærede, Capyc. Latr. *cons.* 30. *n.* 12. *dec.* 316. *num.* 5. *& seq. par.* 13. *recent.* & advertitur supra, *dec.* 26. *n.* 8.

Et secundò in idem illativè, seu consequutivè, quoniam isto casu, quo filius non sit cohæres, neque habeat legitimam jure hæreditario, sed illam petere possit ab hærede, tunc non habeat ullam actionem directam capiendi possessionem bonorum propria authoritate, neque exigendi nomina debitorum hæreditaria, cum omnia hæc competant hæredi universali; Ideoque non habet jus exercendi actiones personales, & executivas directe contra debitores hereditarios, sed solum competit actio in judicio ordinario contra hæredem, ut præstet legitimam tanquam quotam bonorum, quam hæres præstare non tenetur, nisi detrahatur totum æs alienum, ut supra, adeout non sufficiat oblatio illam solvendi, quando erit facta liquidario, ex deductis supra, *disc.* 29.

Præterea, si juxta dictam lecturam, seu theoricam quam admittebam veram, solus hæres erat Dux, Actores verò nullum habebant titulum hæreditarium, hinc resultare dicebam, quod etiam non adesset dicta distinctio personarum ratione primogenituræ, adhuc istud nomen debitoris, cum ipso hærede in instante mortis Ducissæ creditricis, vel in instanti aditionis hæreditatis desierat esse in rerum natura ratione confusionis, quæ inducitur eo ipso, quod debitor succedit creditori, ex deductis *tit. de credit. disc.* 40. Et per consequens ita cambium non adesset in rerum natura, ut supra.

Neque referre advertebam, quod ista confusio non præjudicet tertio, quoniam conclusio pariter est vera; sed fallacia quoque consistit in applicatione, cum id procedat ad effectum, ut istud nomen debitoris, licet confusum, veniat tamen in calculo hæreditario, pro regulatione legitimæ, eo modo, quo venjunt bona alienata per defunctum in vita titulo lucrativo, ut supra, *disc.* 19. non tamen ut possit filius pro legitima exercere has directas actiones, ut supra.

FLORENTINA LEGITIMÆ PRO FALCONETTIS, CUM NICOLAO DE CARDIS,

Responsum ad causam extra Curiam cum sensu veritatis.

An in calculo bonorum parentis defuncti, pro detractione legitimæ ad istam impinguandam veniant bona, quæ fuerint donata, seu legata non imputabilia eidem filio, qui legitimam vult detrahere.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Bona donata veniunt in calculo ad regulandam legitimam.*
3 *Quid legatis factis eidem filio, vel alteri.*
4 *De eadem conclusione, de qua n.* 2. *& quando procedat.*
5 *Donatio cum onere primogenituræ non est vera donatio in ordine ad donatarium.*
6 *Quare conclusio, de qua nu.* 2. *non intret ubi sit donatio facta eidem filio.*
7 *De circumstantiis particularibus casus, de quo agitur.*
8 *Monitum quomodo procedi debeat in deferendo Rotæ, aliorumque Tribunalium decisionibus.*

DISC. XLIII.

BACCIA de Falconettis creditrix Antonii de Cardis ejus filii in scutis 1628. in ejus testamento huic prælegavit liberationem à medietate dicti crediti, & cujuslibet alterius, adeout dictæ medietatis nullum computum teneri debeat in ejus hæreditate, in qua solum aliam medietatem remanere voluit, absque obligatione imputandi medietatem legatam in legitima, sed solùm aliam medietatem, deindeque eundem hæredem instituit cum fideicommisso ad favorem ejus filiorum, & descendentium, quibus defectis substituit fratres de Falconettis, quibus agentibus in Rota Florentina, ad bonorum hæreditariorum vendicationem, ob jam factum casum fideicommissi per mortem dicti Antonii sine prole, ejus vero hærede, vel donatario excipiente de detractione legitimæ, super qua in genere nulla cadit quæstio, ista solum oritur super quantitate, an scilicet in calculi bonorum ponenda sit dicta medietas prælegata, ex qua proinde legitima augetur, eamque ponendam esse contenditur ex parte dicti hæredis, vel donatarii, ex firmatis per Rotam Romanam *decis.* 186. post Merlin. *de legitim. & dec.* 348. *p.* 13. *rec.* ut bona donata, vel alias titulo lucrativo per parentem distracta venire debeant in calculo, atque in dicta posteriori *decis.* 348. agitur in individuo illorum bonorum, quæ per Patrem donata fuerant eidem filio, ex cujus persona per creditores agebatur de detractione legitimæ.

His tamen non obstantibus, contrarium in hac facti specie, cum eo sensu veritatis, cum quo post editos publicæ luci meos labores inconcussa est consuetudo scribendi extra Curiam, respondendum censeo, atque pro clariori resolutione duas constituo inspectiones, unam nemè super puncto in genere præscindendo etiam à verbis testatricis; Et alteram quid importent, ac operentur verba testatricis.

Quatenùs pertinet ad primam non de facili inveniuntur doctrinæ, vel decisiones, quæ descendant ad nostros præcisos terminos legati, omnesque de ista conclusione agentes loquuntur in terminis donationis inter vivos; Et meritò quoniam, aut agitur de legato, quod factum sit tertio, & tunc nulla cadere potest quæstio, cum illud debeatur post mortem, à qua recipit perfectionem, & antequam bona legata non dicuntur extracta ab hæreditate, ex qua prius detrahenda est legitima, nulla ratione legatorum habita; Aut agitur de legato facto ipsimet filio, cui legitima debetur, & tunc pariter cessat occasio quæstionis, ex regula, quod legata, omniaque alia per filium obtenta, ex ultima voluntate parentis imputantur in legitimam, ideoque cum in hac facti specie ex judicio Testatricis illud legatum immutet ejus naturam, atque assumat illam donationis non immutabilis, exinde sequitur, ut cum terminis donationis procedendum veniat, & in quibus etiam terminis loquuntur supra allegatæ decisiones Rotæ Romanæ.

Conclusio itaque est vera latè, ex Castr. Corneo, Jason. & aliis antiquioribus comprobata per Surd. *cons.* 332. *nu.* 14. Rovit. *decis.* 100. *nu.* 26. Paitell. *ann.* 15. *ex n.* 16. Cutell. de Donat. & per Rotam ultra loca, de quibus supra, *dicta decision.* 57. *&* 136. *part.* 11. *recentior.* ubi in terminis fortioribus dotis constitutæ filiabus, atque à me pluries advertitur præsertim supra, *discurs.* 9. *nu.* 4. *& disc.* 19. *num.* 8. *& disc.* 130. *numer.* 23. *&* 24. *de Dote, & alibi*; Verum punctus est in applicatione, super quota hodie pro meo judicio circumferri videntur omnes forenses quæstiones, atque consistit Judicantium, & Consulentium eruditio, ac judicium, cum antiquæ juris quæstiones hodie penè omnes explanatæ videantur.

Pro congrua itaque applicatione reflectendum venit, quod quotquot tam antiquiorum, quàm modernlorum authoritates, quas super ista conclusione habemus, diligenter de motæ collectæ per Surd. *ubi supra, & in allegatis* Rotæ *decisionibus*, excepta *dicta dec.* 348. *par.* 13. attendantur in verbis, percutiunt casus, in quibus donatio de cujus calculo agatur, facta sit extraneo, vel alteri ex filiis, non autem illi, qui contendat de legitimæ impugnatione; Et si attendatur ratio, per omnes allegari solita, cui ista conclusio innititur, idem pariter præsupponitur, ne scilicet ita per donationes, vel alias gratuitas, & lucrativas alienationes fiat fraus legitimę, ac minuatur jus filii, ne de bonis donatis habeat illam participationem, quam de jure habere debet; Et per consequens omnes decisiones, & authoritates, excepta *dicta decision.* 348, merentur poni ad partes, nullaque ratio de eis habenda est, utpote extra casum nostrum, in quo, ut infra diversa militat ratio, atque non applicatur illa, cui ut supra, dicta conclusio innixa est.

Quo verò *ad dictam decision.* 348. *par.* 13. in qua agitur in specie de donatione facta eidem filio, ex cujus persona, facto casu fideicommissi, contendatur de detractione legitimæ juxta nostros præcisos terminos; Illa in primis procedit cum dictis authoritatibus percutientibus dictum alium casum donationis factæ alteri, quam ipsi filio, nullam deducendo rationem, vel authoritatem, quæ istos terminos percutiat, ideoque intrat conclusio, quod doctrinæ intelligendæ sunt juxta authoritates, quas allegant, Rota *decis.* 155. *num.* 56. *part.* 6. *decis.* 474. *num.* 9. *part.* 2. *rec.* & frequenter ex deductis *disc.* 35. *de Judic.*

Et ulterius magis stringenter dicta decisio fuit revocata coram eodem *Verospio* 5. *Julii* 1662. *&* 15. *Junii* 1665. ut in eodem casu præcilo refertur supra, *disc.* 24. *& disc.* 191. *de fideicomm. utrobique num.* 2.

Et

Et quamvis in aliis instantis *coram Calataiu, Priolo, & Vicecomite*, in temporibus relatis *eodem disc.* 24. *numer.* 2. me scribente pro agentibus ex persona filii super puncto, an bona donata imputanda essent, nec ne, in legitimam, recessum fuerit à dictis ultimis decisionibus *Verospii*, & per consequens approbata prior anni 1661. quæ est *dicta decis.* 348. *part.* 13. Attamen non fuit actum de puncto, de quo agitur, neque illius rationes intrant, sed de puncto imputationis in genere, neque verificabatur casus noster, quod ageretur de donatione facta ad favorem ejusdem filii contendentis de detractione, & impinguatione legitimæ, sed potius ad favorem tertii, nempe primogenituræ, omniumque ad eam vocatorum, ex rationibus deductis supra, *dicto disc.* 24. quas superfluum est reassumere, dum ibidem commodius videri possunt, ideoque firmum remanet, quod etiam *dicta decisio n.* 348. extranea est à casu, de quo agitur, atque percutit dictos alios terminos, cum quorum præsupposito omnes loquuntur, quod scilicet agatur de bonis donatis alteri, quam ipsi filio, qui propterea contendat de damno vitando potius, quàm de majori lucro captando.

Atque ita in eadem individuali causa, de qua agitur in *dicta decis.* 348. decisum fuit per Rot. 15. *Martii* 1674. *coram Vicecomite*, per quam resolutionem cessat penitus omnis difficultas, & ex qua liquet, quod nulla desuper habetur specialis authoritas, quæ descendat ad istos terminos, quoniam cum ea causa fuerit per multos annos, & in quinque & forsan ultra instantiis acerrimè disputata, ut pater ex relatis supra, *dicto disc.* 24. *& dicto disc.* 191. *de fideicommissis*, verisimiliter inventa fuisset.

Et quidem ubi etiam casus non dedisset præfatæ resolutionis editionem, vel respectivè notitiam, adhuc casus videretur habere de indubitabili ob cessantem rationem, cui innixa est conclusio, ut supra, ac etiam quia nunquam fictum plus operari potest, quàm verum, ideoque si revera nulla dictis nominis dispositio facta esset, adeout illud integrum esset in hæreditate, non posset alius filius prætendere, nisi in ejus participationem in tertia parte, cum legitima sit quota singulorum bonorum, ideoque conquæri non potest, dum obtinet totum.

Hinc nulla subesse videtur necessitas assumendi alteram inspectionem particularem resultantem à verbis testamenti, dum ab eis quoque præscidendo, istæ casus videtur planus; Multò igitur magis, & extra principium dubitandi, attentis illis verbis *siche non debba tenersi conto alcuno di detta metà nella sua eredità*, non potest etenim unum, & idem judicium eodem tempore approbari, & reprobari, sed acceptandum est cum sua causa, & prout jacet, ideoque si legatarius vult consequi legatum, debet acquiescere, ut hęc medietas reputetur extra hæreditatem, cujus legitima est quota juxta opinionem ipsi filio favorabiliorem, dum altera opinio ut sit quota bonorum est magis stricta, magisque sibi præjudicialis, ut patet ex deductis per Merlin. *de legit. lib.* 1. *tit.* 1. *qu.* 2. & latiùs per Bellon. jun. *de jure ac crescend. cap.* 6. *quæst.* 8. super famigerata quæstione, an legitima sit quota hæreditatis, vel quota bonorum de qua etiam *hoc tit. disc.* 26. *&* 42.

Atque hinc semper in dies magis edocemur id, quod frequenter à me advertitur, ut nimium circumspectè in judicando, & consulendo procedi debeat in deferendo decisionibus Rotæ Romanæ, aliorumque Tribunalium, sed indagari debeat status ac finis causæ, cum hujusmodi decisiones præsertim Rotæ in volumina redigi soleant per collectores nullam fori negotiorum peritiam habentes, atque non advertentes ad id, ad quod adverti deberet, non imprimendi scilicet illas, nisi habita notitia status causæ, & an ab eis recessum sit, nec ne.

LUCANA LEGITIMÆ, PRO VENIENTIBUS AB INTESTATO, CUM AVIA MATERNA.

De Statuto Oppidi Petræ Sanctæ excludente matrem propter agnatos, an tollat etiam legitimam & loquendo de matre cõprehendat aviam; Et incidenter in idem de Statuto Florentino.

SUMMARIUM.

1 *De antiquo usu locorum se gerentium pro Republica.*
2 *De occasione editionis statutorum localium.*
3 *Casus controversiæ. Et de tenore statuti.*
4 *De legitima debita parentibus, an sit de jure naturæ.*
5 *De prærogativa matris super alios parentes.*
6 *An statutum excludens à successione, excludat etiam à legitima.*
7 *An excludens matrem, excludat aviam.*
8 *Quando attendi debeat statutum Civitatis dominantis.*
9 *Statuta Civitatis liberæ habentur tanquam jus commune.*
10 *An statutum possit tollere legitimam in totum.*
11 *Quomodo in jure legitimæ detur inæqualitas inter parentes, & liberos.*

DISC. XLIV.

CUm ità exigente illorum temporum conditione in aliquibus Italiæ partibus præsertim ab Urbe versus montes quælibet Civitas, vel oppidum mediocris status, libertatem sibi vendicasset, atque se gereret pro Republica; Prout etiam quilibet Domicellus pro absoluto Principe cum regalibus majoribus se quoque gereret, ut pater ex casibus recensitis *sub tit. de feudis, disc.* 3. 49. 52. 63. & in aliis; Hinc inolevitusus in his regionibus adeò frequens, ut quilibet locus habeat propria statuta; Præsertim quia circa illa inita in quibus leges civiles Romanorum juxta compillationem Justiniani post plurium fæculorum sepulturam casualiter repertæ usu recipi cæperunt, populi in materia successionum præsertim antiquis Romanorum, & Italiæ moribus assueti; illis nimium contrarias esse cognoscebant illas leges, quas juris novissimi dicimus in lucem editas, ideoque ità pro antiquorum morum conservatione, consulere studuerunt, *ut sub titulo de successionibus, & alibi* sæpius advertitur.

Quia verò status rerum immutari cæpit, dum potentes Principes, vel Respublicæ adesse cæperunt, quorum consuetudo est antiquorum Romanorum exemplo, ubi occasio opportuna præbeat, inimicos, ac etiam amicos minus potentes jure, vel injuria suæ supponere potestati, hinc inolevit usus voluntariæ deditionis minus potentium protectioni magis potentium, quæ in formalem subjectionem paulatim transiit, ut istius præsertim Hetruriæ praxis docet ex Historicorum, magis verò nostrorum Juristarum testimonio occasione agendi de statutis, & de jurisdictione, atque aliqualiter advertitur *d. disc.* 63. *de feudis & alibi.*

Idque præsertim contigit in hoc Oppido Petræ Sanctæ, quod se dedit in protectionem Reipublicæ Florentinæ cum diversis Capitulationibus, illa præsertim ut jus dici deberet secundum propria statuta, & in eorum defectum secundum statuta Reipublicæ.

Disponente itaque statuto locali *de success. ab intestato lib.* 3. *cap.* 10. ut prima causa sit descendentium; Secunda ascendentium masculorum, & tertia agnatorum, seu illorum de cippo masculino ad conservandam agnationis omnibus simpliciter exclusis, providendo quoad matrem, ut succedat in usufructu usquequo in viduitate permanserit, atque nil amplius petere possit etiam legitimam filiorum, nisi dictum usumfructum; Danteque casu, ut ab intestato defunctus haberet agnatos transversales, & aviam maternam superstites ob parentum prædecessum, quæstionem excitavit avia super consequutione legitimæ, atque judex, coram quo causa introducta fuit, juxta regionis comendabilem stylum plura dedit motiva; Primò nempè, quod non minus ascendentibus, quàm descendentibus legitima sit debita; Secundò quod per reservationem ususfructus ad favorem matris non censeatur sublata legitima; Tertiò quod cum loquatur de matre, non sit extendendum ad aviam ex natura statutorum, ut non admittant extensionem quamvis identitas, vel majoritas rationis accedat; Quartò quod legitima non possit in totum tolli per statutum; Et quintò quod absurdum esset dare inæqualitatem, ut mater, vel avia decedens teneatur filio, vel nepoti relinquere legitimam, ad quam è converso filius, vel nepos non teneatur.

Super istis igitur motivis ex parte agnatorum consultus, respondendum esse pro eis verius visum est, dictaque motiva singulariter expendendo; Quatenus pertinet ad primum dixi prorsus inanem laborem esse super illo immorari, quoniam ista quæstio latè expensa per Rot. apud Duran. *decis.* 76. *repet. decis.* 62. *p. art.* 5. *rec. & de qua supra, disc.* 10. *& alibi*, an scilicet ex illo eodem jure naturali ita impropriè, atque per modum loquendi appellato, ex quo legitima debita est filiis, & descendentibus, debeatur etiam parentibus, aliisque ascendentibus, vel potius istis ex solo jure civili, percutit aliquos diversos effectus, qui in praxi

quandam speciem idealitatis continere videntur sive legales formalitates, & judaismum, cum ex deductis *dicto disc.* 10. & alibi, etiam in filiis, & descendentibus omninò verius esse dicendum veniat, ut totum proveniat à jure positivo, quod cuidam natural' instinctui, vel stimulo innixum est, sed quidquid sit, id percutit diversos effectus, & cum præsupposito, quod juxta terminos juris communis legitima sive uno, sive altero jure debita sit, quod nil facit ad rem dum per legem particularem illa omninò indebita prætenditur.

Quoad secundum pariter advertebam esse laborem inanem utpote extra casum statuti, quod de matre solum loquitur, ideoque avia remaner sub genere cognatorum, sub
5 quo extra omne dubium venit, vel sub genere parentum ab eodem Statuto neglectorum dum illud habendo respectum ad agnationem vocat solum parentes masculos per lineam masculinam, eodem modo quo facit de descendentibus priorem locum occupantibus, magisque in jure privilegiatis, quibus nullum reservat usumfructum, quem solum reservat matri, quæ in jure secluso motivo agnationis ac altero juxta jus antiquum, vel medium patriæ potestatis inter alios parentes reputatur magis privilegiata majorique commiseratione digna, eo quia ut nostri dicunt, est in prægnantia grumnosa, in partu dolosa, & periculosa, post partum laboriosa, quod in nullo parentum verificatur, ad notum text. *in l. maximum vitium, Cod. de liber. præter.* cum notoriis apud Instituistas, Et nihilominùs neque simpliciter, & indefinitè hunc usumfructum illi defert, sed sub onere, vel conditione viduitatis, cujus præmium esse videtur; Igitur quidquid sit de casu, in quo Statutum loquitur, dicere sufficit quod in eo non versamur, nam aliàs omnes alij parentes quantumvis remoti, qui ob aliorum præmorientiam essent immediati, atque haberent jus legitimæ, usumfructum quoque prætendere possent, quod utique esset irrisione dignum.

Atque hinc sequitur, quod ut præmissum est, merè inutilis, ac superfluus labor censendus venit, agere de hoc puncto;
6 Sed quando de illo agendum esset quia contentio esset cum matre, adhuc contra illam respondendum veniret, quoniam ista quæstio, an statutum excludens ab intestata successione, excludere quoque censeatur à legitima, de quo agitur supra, *disc.* 10. *nu.* 11. *& disc.* 19. *n.* 2. ubi ex ibi allegatis firmatur veriorem esse affirmativam pro exclusione quotiès contraria opinio non sit in loco usu recepta, percutit casum in quo Statutum nullam habeat legitimæ mentionem, adeout ambigua remaneat statuentium voluntas, quod in præsenti nullatenus dici potest, dum expressis verbis, dicitur, ut nihil amplius etiam legitimam prætendere valeat, nisi usumfructum qualificatum ut supra, dum illa dicto restrictiva, seu exceptiva firmat regulam generalem in contrarium, ideoque rectè intrat nimium vulgaris regula magis proximæ, magisque dilectæ, quæ sit medium, vel causa conjunctionis alterius remotioris, istius exclusionem causat, ut habemus in statutis excludentibus fœminas propter masculos, ut magis excludere censeantur ipsarum fœminarum prædefunctarum filios, vel filias, ex plenè deductis *decis.* 405. *part.* 5. *rec. decis.* 25. *part.* 7. *& decis.* 275. *ex num.* 9. *p.* 8. *rec.* atque à me advertitur *sub tit. de success. disc.* 14. *& alibi*, atque ubi non haberentur authoritates legales, ad sensum clarè id probaret ipse humanus discursus; Rigor autem de quo *d. disc.* 15. *de success. ab intest.* quidquid sit de ejus subsistentia ex ibi motivatis, in præsenti non intrat ob diversitatem casus, & rationis.

Omnem tamen dubitandi rationem penitùs tolli dicebam ex Statuto Florentino *in rubr. qualiter mulier ab intestato succed. cap.* 139. *lib.* 2. ut totum, quod dispositum est in matre, semper locum habeat etiam in avia, aliisque conjunctis per maternam lineam, quod revera non est de novo disponere contra jus, sed potius declarare id, quod etiam de jure communi procedit.

Neque intrat quæstio an cessante statuto locali, ad jus commune potius, vel ad jus statutarium Civitatis dominantis recurrendum sit, ex eadem superius insinuata regula, quod in claris, & expressis non intrant quæstiones, & argumenta, dum in capitulationibus initos inter istum Locum, 8
& Rempublicam ita expressè dispositum est, ut deficientibus statutis particularibus, judicari debeat secundum statuta Reipublicæ.

Fortius verò, & cum minori dubitandi ratione ob duplicem circumstantiam, Primò nempè quod cum Respublica obtineret absque dubio jura supremi Principis in universa ejus ditione, nullumque agnosceret superiorem, male ejus statutis applicantur ea, quæ apud Doctores habentur de statutis venientibus sub genere legum municipalium cum procedant solum in statutis conditis per Civitates subditas, 9
adeòut in statuentibus desit potestas derogandi juri communi Romanorum contento in corpore compilato per Justinianum, secùs autem in hujusmodi statutis, quibus potiùs congruit vocabulum, & effectus juris communis, quinimò ut sit magis commune, & privilegiatum, quam prædictum commune Romanorum attendendum in subsidium, ut advertitur supra, *d. disc.* 10. *de legitima num.* 24. *& magis ad rem disc.* 35. *de Judiciis num.* 22. *& seqq.*

Et secundo, quod ut supra, Vel certum est quod statutum loquens de matre excludat etiam aviam, vel saltim est dubium, & quæstionabile, & isto casu Statutum Florentinum deservit pro interpretatione potiùs, quàm pro correctione juris communis.

Accedente quoque consideratione, de qua supra, quod sciliçet exclusio aviæ non desumitur ab exclusione matris per extensionem, sed potiùs ab exclusione omnium
torum, & parentum qui non sint de eisdem [illegible]

SUMMA,
SIVE
COMPENDIUM

Eorum, quæ in foro magis practicabilia continentur in hac Parte III. Lib. IX. de Legitima, & Trebellianica, aliisque Detractionibus.

INDEX RUBRICARUM.

I.

Quo jure introducta sit legitima, & an per legem positivam tolli possit, & quibus debita sit. *à nu.* 1. *ad* 17.

II.

Quanta sit legitima; Et de modo calculandi assem, ex quo est detrahenda. *à n.* 18. *ad* 30.

III.

Quomodo legitima relinqui debeat, & in quibus bonis; Et an pro ea debeantur fructus, vel usuræ. *à nu.* 31. *ad* 37.

IV.

De prohibitionibus, ac oneribus, quæ legitimæ adjiciantur, an & quando subsistant, vel acceptata censeantur. *à n.* 38. *ad* 43.

V.

An, & quando legitima admittatur ob non confectum inventarium; sive quando licitè denegari valeat, vel è converso etiam in vita petatur. *à nu.* 44. *ad* 48.

VI.

De imputationibus, quæ in legitimam fiant. *à nu.*

3 *Quod legitima sit de jure positivo, & quare dicatur de jure natura.*
4 *Legitima per Statuta potest minui, vel etiam tolli in totum.*
5 *Debita est solum liberis legitimis, & naturalibus.*
6 *Debetur etiam filiis divitibus, ac aliunde provisis.*
7 *Tam masculis, quam fœminis sublata sexus differentia.*
8 *Conclusio de qua num.* 5. *procedit quoad patrem, & parentes lateris paterni, non autem quoad matrem, & quando ista quoque non teneatur ad legitimam.*
9 *An, & quando legitima debeatur filiis legitimatis per rescriptum.*
10 *In legitimatis per subsequens matrimonium procedit conclusio, de quan.* 5.
11 *Quid de adoptivis remissive.*
12 *Parentibus quoque per liberos debita est legitima, & quomodo.*
13 *Si quis habet parentes, & liberos, erga liberos tantum est obligatio.*
14 *Quod alimenta parentibus potius, quàm liberos debeantur.*
15 *An filiorum illegitimorum, vel legitimatorum obligatio sit erga parentes circa legitimam.*
16 *Fratribus non debetur legitima, nisi turpi persona institutæ.*
17 *Legitima debita parentibus dicitur quoque de jure natura, ut illa liberorum.*

II.

18 *Est triens intra certum numerum, & ultra in semisse, in fratre autem quarta.*
19 *Quomodo debeatur nepotibus ex filiis prædefunctis.*
20 *De modo numerandi filios de jure communi, ubi adsint incapaces, vel exheredati.*